

21
Q. D. B. V. E. 3. num. 12. 1747

MEDITATIONES QVASDAM 8
IUS PRINCIPIS CIRCA SACRA
SECUNDVM IUS NATVRAE
SPECTATVM CONCERNENTES 1747. 1.

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

A. C. MDCCXLVII. DIE FEBRVARII

SUBIICIENT

PRAESES

IOHANNES CHRISTIANVS
ESCHENBACH

PHILOS. MAG.

ET

RESPONDENS

P. 352
IOHANNES FRIDERICVS
EICHFELD

PH. AC. MED. STVD.

ROSTOCHII,

Typis IOHANNES IACOBI ADLERI, SEREN. PRINC. ET ACADEM.
TYPOGRAPHY.



MEDITATIONES GYASDAMI
VS PRINCIPES CIRCA SACRA
SECVNDVM IVS NATVRAE
SPECTATVM CONCERNENTES

CONSENTIENTE ANTISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PAPALE FRVITVRVM REVERENTIA
IN NOBILISSIMO ACADEMIA
A. C. MEDICAE ET CHIRURGICAE
SARAVIENSIS

JOHANNES CHRISTIANVS
ESCHENBACH

JOHANNES FRIDERICVS
RICHFIELD

ROSTOCKI
ACADEMIAE MEDICAE ET CHIRURGICAE
PUBLICAE





PRAEFATIO.

L. B. S.

Omnia Imperantis cuiusdam iura circa sacra, id est circa negotia ecclesiae, societatis in eius territorio existentis, ipsi competentia, ex iure territoriali et vi superioritatis in eum devolvi, hodiernum plurimorum fere Ictorum sententia est communis; nullum prorsus inter iura maiestatica et collegialia (quae a quibusdam episcopalia dicuntur) admittentium discrimen. Haud pauci eorum haecce effata sua sequentibus firmare student rationibus. Sententia, inquit, quae respectu iuris circa sacra principi competentis admittendam differentiam inter iura maiestatica et iura collegialia (sive episcopalia)

A 2

pro-

propugnat, primo, nulla profecto nitiur ratione firmoque fundamento; deinceps, ipsis eam defendentibus est obscura, ita ut quid sibi cum hac distinctione determinate velint ignorent; denique summis principum iuribus per consecraria inde emanantia maxime evadit noxia; et sic porro. Sed ad omnes hasce obiectiones generatim sic liceat respondere: dicta sunt, id quod novi; probata sufficienter? dubito, nisi forsitan virorum eruditione famaue celebrium auctoritatem probationis loco substitui posse affirmare velis. Speciatim vero ad primam et secundam quod attinet obiectionem: eius oppositum (scilicet, quod modo dicta distinctio haud ratione destituatur, nec sonum sine mente exhibeat) sequentia perlegenti commata forsitan concepitabile aliquo modo fieri poterit. Ad tertiam brevibus sic posset regeri: in veritatem huius rei inquirentes non disputamus de eo, quod utile, sed quod iustum. Interim si vel maxime veritatis ratio est habenda: nihil maiori cum confidentia affirmari posse arbitror, nisi ut summis rerum publicarum imperantibus, saltem quibusdam in individuo spectatis, ex defensa ista distinctione plura, quam ex dissentientium opinione, redundant commoda. Cuius autem iudicii veritatem dum nemo in lucem ponere potest, nisi qui ad speciales casus descendens exinde argumenta desumeret; atque id neque in viribus meis est positum, neque fini consentaneum: id laboris iis relinquo, qui specialia huius materiae excutere intendunt. Meum iam erit, in generalibus, rite tamen determinatis, tantum subsistere; praesertim dum non privatae disceptationis hinc inde agitatae decisionem faciendi, sed academicum edendi specimen quaecumque est animus. De quo omnes, qui hasce pagellas perlegendi oti-

um sibi fument, praemonendos existimo. Monere adhuc et attentioni lectorum maxime commendare liceat, finem dissertationis minime eo directum esse, vt speciali quadam ratione in Ius Principum circa Sacra inquirerem; quippe quod intactum profus mihi maneat. Sed (vt intentionem exemplo clariorem efficiam), quemadmodum Philosophi quidam (quos inter praeter caeteris Cel. *Cantzius in Diss. de Jure DEI in res creatas* allegare possum) de iure DEO in creaturas competente meditationem instituant, et speciatim in verum huius iuris fundamentum inquirunt: Sic ego philosophum agens (quae verba B. L. benigne accipiat) tantummodo Iuris circa sacra, Principibus competentis, fundamentum ostendere cupio; idque ne quidem positive, sed negative tantum, indicaturus scilicet solummodo, Ius circa sacra Principibus esse tribuendum alio ex fundamento, ac antea memorati Doctores Cel. affirmant. Atque sic spero fore, vt Lectorum nullus debitam in interpretando adhibendam aequitatem deserat; et, me limites reverentiae erga Principes transiisse et sentiendi libertatem magis quam decet exercuisse, iudicet. Quod si enim philosophi, fundamentum iuris DEO in creaturas competentis determinantes, maiestatem DEI illegitime ac temerarie non tangunt (id quod quilibet sana iudicandi facultate instructus considerare debet): num ego, fundamentum iuris, Principibus circa ecclesiae negotia competentis, tantummodo considerans, iniurius in Summam Principum celsitatem censendus essem? Omnibus hisce, in gratiam quorundam lectorum praecipue dictis, vnicum hocce addo: nolit B. L. propositiones a me defensas eiusmodi impugnare argumentationibus, quae ab incommodis inde fluentibus et odiosis et absque legi-



tima ratione formatis consequentiis erunt desumptae (quippe
quarum sufficiente cum responsione comitatam explanationem,
si non veritas, prudentia tamen dissuadet saepius); sed potius
attendat ad regulam logicam: Quidquid ex principiis certis le-
gitimo modo sequitur, est verum. Caeterum, si quis forte me
in errorem incidisseprehenderit, me (si libuerit) in rectum
placidis monitis ut reducat tramitem lubentissime patior. Quid
enim est, quod hominem me esse mihi que humani ali-
quid accidisse experiri, et ab aliis doceri, velle
erubescerem?



Vt



t, quas in sqq explicavi, cogitationes eo re-
ctius intelligi possint, eas in compendio
quasi exhibere liceat. Doctores quos-
dam, eos praesertim, qui insigni ICtorum no-
mine celebres sunt, hancce propositionem (Principi qua tali, i. e. vi
superioritatis, iuris territorialis imperiique ciuilib, competit ius di-
rigendi atque directio omnium omnino negotiorum, quae in ec-
clesia, societate in eius territorio existente, peraguntur) & animo
fovere & scriptis publice inferere, inveni saepius. Cui propo-
sitioni, vniuersaliter ac simpliciter enuntiatae, eos deinceps haf-
ce subsumtiones subnectere (atqui, hae vel illa res sunt nego-
tia ecclesiae); et denique ex eadem concludere (Ergo omnes istae
prin cipi qua tali i. e. vi superioritatis & ex iure territoriali com-
petunt) tam notum est, quam quod notissimum. Verum enim
vero (minime ius Principum dirigendi atque directionem nego-
tiorum ecclesiae spectaturus; sed tantum fundamentum, ex quo
IUS

ius illud a per plurimis naturam ecclesiae non rite, quantum ego quidem iudicare mihi sumo, perpendentibus deducitur, falva veritate & idea Principis legitimum esse non posse indicaturus) propositionem huius argumentationis fundamentalem, (maiores scilicet, prouti in Logica dicitur) simpliciter (vbi fit) enunciatam, non esse veram, atque sic pro firmo tot gravium conclusionum & maximi momenti consequentiarum fundamento illegitime venditari arbitror, & in sequentibus defendere conabor. Ostendere itaque, propositionem dictam esse limitandam; idque ostendere ex ipsa principis notione h. e. ex idea principis qua talis & positionibus exinde derivatis allaborabo. Quod quum effectum sit: conclusiones ex illa, simpliciter enuntiata, propositione deductas ipsa sua mole ruituras esse, aequae facile ac, quod submoto fundamento omnia illi superstructa sponte decidere debeant, clarum fore patet. In quantum vero intentioni meae satisfecerim, lectoris veritatem sectantis iudicio maneat relictum.

§. I.

Quod si quem A ius actiones hominis a) cuiusdam B pro arbitrio proprio dirigendi (i. e. determinandi vt fiant sic nec aliter); & alterum B obligationem ad obedientiam directioni praestandam, habere perspicimus: illum A imperare huic B, & hunc illi subiectum esse dicimus; id quod experientia & communis loquendi vsus satis testatur, Imperium ergo ibi adesse affirmamus, vbi in vno A b) ius actiones hominis cuiusdam B pro arbitrio proprio dirigendi, & in altero B obligationem ad obedientiam directioni praestandam invenimus; & illum A, cui eiusmodi imperium competit, Imperantem salutare, nemo detrectabit. Dum quoque actiones, quae diriguntur, a modo, quo diriguntur eadem, distinguere licet: ex dictis sequentes facile perspicere possunt positiones:

I. Imperans est Imperans, quia habet imperium. Ergo imperans A est imperans, quia actiones alterius B (qui hoc respectu

- ctū ei subiectus dicitur) pro arbitrio proprio dirigendi ius habet. Hinc
2. Imperans A spectatur qua imperans, si spectatur, quatenus illud ius habet, actiones illius B pro arbitrio proprio dirigendi.
 3. Subiectus B est subiectus, quia obligationem ad obedientiam directioni alterius A praestandam habet. Hinc quatenus subiectus B eam obligationem habet, eatenus est tantum subiectus.
 4. respectu quarum actionum alterius B ille A modo dictum ius dirigendi habet vel non habet, & subiectus B dictam obligationem habet vel non habet, respectu illarum actionum A est vel non est imperans, & B est vel non est subiectus.
 5. quatenus circa hanc vel illam actionem alterius B ille A habet vel non habet ius dirigendi, & B habet vel non habet obligationem, eatenus i. e. eo huius actionis respectu A est, vel non est imperans, & B est vel non est subiectus.
 6. A tantum respectu earum actionum alterius B habet dictum ius dirigendi, respectu quarum B habet saepius dictam obligationem (Cor. 4.).
 7. Hinc extensionem & limites iuris illius A in alterum B ex obligatione alterius B diiudicare debemus.

Sch. a) Quidam doctores I. N. Imperium definiunt generatim, per ius, quod quis habet, actiones entis cuiusdam intelligentis pro arbitrio dirigendi. Atque id quidem pro scopo ipsorum summam cum ratione. Interim, quia in sequentibus de imperante, qui est homo, atque de subditis eius, qui iidem homines sunt, sermo erit instituendus; etiam in definitione Imperii pro termino generali (entis intelligentis) terminum specialem (hominis) substituere, facile licet.

Sch. b) Per vnum illum A non tantummodo intelligimus vnicam personam metaphysicam. Sed quoniam ius alterius actiones dirigendi, i. e. imperium, modo vnico, modo pluribus iunctim sumis, competere potest; per vnum illum A generatim quemlibet,
B
quis-

quisquis sit qui imperium habet, siue ex vnica persona metaphy-
sica siue ex complexu plurium consistat, subintelligimus.

§. II.

Non quemlibet imperantem venerando Principis nomine honorare solemus, sed titulus iste ab accurate loquentibus imperanti specificè determinato, ei scil. cui imperium civile competit, manet reservatus. Imperium autem civile ibi deprehendi quilibet ad significatum huius termini receptum attendens dicit, vbi ciuitatem *a*) siue reipublicam, et in ea 1) quemdam *A b*) ius perfectum actiones omnium omnino reliquorum hominum praeter eum in territorio ciuitatis viuentium, saltem huc pertinentium, pro arbitrio proprio dirigendi; et 2) reliquos illos (qui eam ob causam subiecti ciuitatis, siue ii, qui imperio ciuili subfunt dicuntur) obligationem perfectam ad conuenienter viuendum directioni alterius *A*, habere animaduertit (per exper.) *Principis* igitur characterem distinctiuum in eo ponunt Doctores I.N., vt sit *is in ciuitate constitutus, cui comperit ius perfectum c*) pro arbitrio proprio actiones ciuitatis subiectorum (i. e. ad obedientiam perfecte obligatorum) *qua talium i. e.* quatenus obligati sunt, *dirigendi d*) ad finem *e*) ciuitatis. Si praeterea ortum ciuitatum et rationem, cur principes sint constituti (quoad vtrumque ex antiquitate determinatu possibile est) spectamus: apparebit, Principi ideo competere hocce ius, vt efficiat, vt subiecti ciuitatis obligationi suae conuenienter vivant. Exinde deduco:

1. Princeps est imperans, cum imperio tamen ciuili; ii in quos imperium eius sese extendit, sunt subiecti ciuitatis, qua tales. Ciuitatis subiecti vero sunt omnes homines (praeter principem) qui in territorio ciuitatis sunt, saltem huc pertinent.
2. Princeps est princeps, quia habet ius (perfectum i. e. cum coactione coniunctum) dirigendi actiones ciuitatis subiectorum, qua talium. (Namque determinatum illud ius dirigendi principem ab aliis imperantibus distinguit). Hinc

3. Prin-

3. Princeps spectatur qua princeps, quatenus habet ius illud dirigendi actiones subiektorum ciuitatis, qua talium i. e. obligationi illorum conuenienter ad finem reipublicae. Siue Princeps spectatur qua princeps, quatenus habet imperium ciuile (per cor. 1.), Ergo perfectum siue cum coactione coniunctum.
4. Subiectus ciuitatis est talis, et spectatur qua talis, quia et quatenus obligatus est, actiones suas directioni principis (obligationi suae conuenienter institutae §. 1. cor. 6. 7.) relinquere, ad finem reipublicae. Hinc
5. Quo respectu quis est ciuitatis subiectus, eo respectu est obligatus actiones suas directioni principis (qua talis per cor. 3) committere. Et si quis alio respectu est ciuitatis subiectus ac alter, alio etiam modo obligatus est ac alter.
6. Princeps qua Princeps habet ius in actiones ciuitatis subiektorum qua talium (cor. 3.) Sunt vero tantum eatenus subiecti, quatenus sunt obligati ad finem reipublicae (cor. 4.) Hinc princeps qua talis eas tantum subiektorum ciuitatis actiones dirigendi ius habet, quas (et quatenus easdem) ad finem reipubl. conferre subiecti sunt obligati, siue quas obligationi suae ad finem reipublicae conuenienter instituere tenentur.
7. Eas igitur subiektorum ciuitatis actiones, quas (et quatenus easdem) ad finem reipubl. conferre subiecti non sunt obligati siue quas obligationi suae ad finem reipubl. conformiter instituere non debent, dirigendi ius non habet princeps qua princeps.

Sch. Quod si hoc loco et in sequentibus hanc dicendi rationem adhibemus: Princeps qua Princeps non habet hoc vel illud ius: nemo eam nobis imponere debet sententiam, nos Principi hoc vel illud ius denegare, adeoque in summa Principum iura iniuriosum esse concludere. Minime gentium. Eam enim adhibentes phrasin, non simpliciter dicimus: Princeps non habet hoc vel illud ius; Sed dicimus cum bene notanda determinatione: Princeps, qua Princeps, non habet hoc vel illud ius, i. e., Princeps habet illud ius, a.

B 2

deo.

deoque ei denegari nequit, verum habet ex alio fundamento, quam quatenus eum princeps respiciendus est. Quod vero Princeps multa iura habere possit, quae tamen non habet quae princeps, luculentissimum est, et quotidiana confirmatur experientia. Quod ut exemplum illustrem, ponamus Principem quemdam vivere in matrimonio. Tunc multa habet respectu coniugis iura; quae tamen non habet quae Princeps, sed quae maritus. Quemadmodum is igitur, qui affirmat: (Principi iura coniugalia non competunt quae principi); ideo non simpliciter dicit: Principi in totum non competunt ista iura coniugalia (concedit enim principi illa iura, sed quae marito): Sic et ego, quum hoc loco et in sequentibus accurata cogitandi methodo postulante ita loquor, quod Principi hoc vel illud ius non competat quae Principi, ideo non simpliciter dico, Principi in totum hoc vel illud ius non competere (concedo enim, Principi competere, sed competere ipsi ex alio fundamento, quam quatenus est Princeps). Hocce annotatu pervtilissimum arbitramur. Dum enim, in sequentibus affirmaturi sumus, Principem quae Principem non habere hoc vel illud ius circa sacra: nemo haecce verba ita intelligat, quasi Principi ius circa sacra denegemus, et simpliciter diceremus, Principem non habere hoc vel illud ius circa sacra. Quilibet nos ita interpretaturus nobis aliquid tribueret, quod efficacissimo ad veritatem conatui, quod reverentiae erga Principes merito summae, quantum quantum est, contradiceret. *Si itaque in sequentibus affirmamus: Princeps quae talis non habet hoc vel illud ius circa sacra: tunc hisce verbis id affirmamus: Princeps hoc vel illud ius circa sacra, quod habet et ipsi concedere omnisquisque debet, non habet quae princeps, sed (vbi expresse, licet breuiter, nos explicabimus) quae summus episcopus.* Secundum hancce a nobis hoc loco propositam meditationem omnes omnino positiones sequentes totaque Dissertatio ut intelligantur postulamus; et a quolibet interpretatoria aequitate instructo Lectore Benevolo postulare iure meritoque possumus.

3. Quod si igitur princeps, quasdam actiones eorum, qui subiecti civitatis sunt, dirigendi ius habet, quas vel plane non, vel certo respectu non, ad finem reipublicae conferre sunt obligati, siue obligationi suae ad finem reipubl. conuenienter institue-

situere non tenentur : illud dirigendi ius non habet qua princeps ; sed, si habet, ex alia ratione adquisiuerit necesse est.

9. Princeps habet ius efficiendi, ut ciuitatis subiecti qua tales (i. e. quatenus sunt obligati) obligationi suae conuenienter uiuant. Et quidem, quia id ius ex notione principis sequitur, ius illud princeps habet qua talis.
10. Princeps qua talis ideo & eum in finem habet ius dirigendi actiones subiectorum ciuitatis, quo efficiat vt obligationi suae conuenienter uiuant. Cessante fine cessat id, quod propter finem est (per princ. metaph.); adeoque cessat ius dirigendi, vbi vt addit non est ratio. Hinc a) si ciuitatis subiecti obligationi suae ad finem reipublicae conuenienter viuunt, & actiones suas obligationi conuenienter instituunt; princeps qua talis non habet ius dirigendi eiusmodi actiones b) actiones subiectorum ciuitatis, quas (et quatenus easdem) obligationi suae conuenienter componunt, dirigendi ius Princeps qua talis non habet g)

Sch. a) Quid sit ius, Ciuitas, siue Respublica (quos terminos in sequentibus promiscue adhibemus), Territorium ciuitatis, cet. determinatu non erit opus, dum lectorem, cum hisce terminis clarum saltem ideam coniungere qui potest, praesupponere licet.

Sch. b) Per illum A generatim intelligimus quemlibet, cui imperium ciuile i. e. maiestas comperit. Quod quum vel populo, vel primatibus, vel vnico tantum, concessum esse possit (inde democratia, aristocratia, monarchia:) per Principem exprimimus vnumquemque, siue sit totus populus iunctim spectatus, siue primatum complexus, siue vnica persona metaphysica; id quod per principia I. N. licitum erit. Interim specialia haec non curamus, quoniam exinde in seqq. nil deducturi sumus. Ideam principis in genere tantum rite vt determinemus necessarium est.

Sch. c) Si in seqq. de Iure Principis & obligatione subiectorum loquimur: semper intelligimus Ius perfectum et obligationem perfectam.

Sch. d) Ius dirigendi indeque fluentem Directionem, et ius inspiciendi indeque fluentem Inspectionem, vt probe distinguamus maxime erit necessarium. De illo h. l. nobis est fetmo, non de hoc.

Sch. e) Quam in §. dicitur: AD FINEM REIP. duplicem hoc significatum inuoluit, scil. vel *a*) ad finem obtinendum et promovendum, vel *β*) ad finem non turbandum & impediendum. De quo tamen in seqq. ulterius.

Sch. g) Quod dictum est, sequenti etiam modo poterit commonstrari. Ea ex ratione Princeps est constitutus, eique qua tali competit ius dirigendi actiones subiectorum ciuitatis, vt ne ii desistant obligationi suae ad finem reipublicae conuenienter viuere. Quod si igitur obligationi suae conformiter viuere, i. e. actiones obligationi suae ad finem reipublicae conformiter iustituere non detrectant, deest fundamentum iuris dirigendi Principi qua tali competentis. Hinc *a*) si ciuitatis subiecti &c.

§. III.

Finem ciuitatis siue reipublicae Doctores I. N. haud absque praualentibus rationibus ponunt Securitatem publicam *a*) siue ciuitatis. Quae quid sit, facile patet ei, qui ex loquutionibus in communi vita vsitatis cognoscit, securitatem (veram scil. *b*) eum sistere statum, quo quis ab imminentibus malis speciatim a turbatione et laesione ⁊ Sui vniuit immunis. Securitas itaque ciuitatis in eo statu erit quaerenda, quo ciuitas ab imminentibus malis, speciatim turbatione et laesione, euadit libera. Principia exinde fluentia subnecto :

1. Eas tantum subiectorum ciuitatis actiones, quas (et quatenus easdem) ad securitatem reipubl. conferre obligati sunt, dirigendi ius princeps qua talis habet (§. praec. Cor. 6.)
 2. Eas itaque subiectorum ciuitatis actiones, quas (et quatenus easdem) ad securitatem reipubl. conferre non sunt obligati, dirigendi ius princeps qua princeps non habet. (§. praec. Cor. 7.)
 3. Quod si igitur princeps eorum, qui ciuitatis subiecti sunt, a-
- Ho-

ctiones, quas vel plane non vel certo respectu non ad securitatem reipubl. conferre sunt obligati, dirigendi ius habet: illud ius non habet qua princeps. Ergo si ipsi competit, ex alia quadam ratione vt competat, necesse est (§. praec. cor. 8.)

Sch. a) Sunt quidem, qui alium adhuc finem cum securitate coniungunt, scil. sufficientiam. Sed hanc sub illa comprehendi posse, quis non videt? Securitas enim dum inuoluit absentiam malorum; non sufficientia vero inter mala iure possit referri: ad securitatem ciuitatis etiam sufficientiam ceu speciale ad generale pertinere posse, clarum est.

Sch. b) De vera namque tantum loqui debemus, si de securitate est sermo. Nam securitas apparens non est securitas.

§. IV.

Princeps qua talis habet imperium in ciuitatis subiectos (§. 2. cor. 1. 3.) i. e. in omnes, qui praeter eum in territorio ciuitatis viuunt, saltem ad illud pertinent. Eos vero, qui in territorio ciuitatis praeter principem degunt, in duplicem dividere ordinem et commode possumus et debemus. Quique namque sint in territorio ciuitatis vitam agentes (praeter principem), sunt vel membra ciuitatis stricto nomine tales, et Ciues dicuntur; vel reliqui alii, qui quidem in territorio ciuitatis, hinc sub imperio civili sunt, non vero stricto nomine membra at focii ciuitatis, hinc nonciues nominari possunt. *a)* Quid igitur cum veritate rei magis consentaneum, quam ciuitatis subiectorum comp' exum ex iis, qui sunt Ciues; et iis qui non sunt ciues, consistere affirmare; et subiectos ciues a subiectis nonciuibus distinguere?

1. Alio itaque modo subiecti Ciues sunt ciuitatis subiecti, alio modo subiecti nonciues. Hinc alio quoque modo subiecti ciues, alio modo subiecti nonciues ad obedientiam directioni principis praestandam obligati sunt (§. 2. cor. 5.)
2. Hinc dirigendi ius alio modo principi qua tali competit circa actiones subiectorum ciuium, ac circa actiones subiectorum nonciuium (§. 1. cor. 7.)

3. Qui-

3. Quilibet ciuitatis subiectus est aut civis, aut noncivis; et quatenus quis ciuitatis subiectus ad subiectos ciues non pertinet, eatenus eum ceu subiectum noncivem spectari debere; et v. v., per se patet.
4. Subiectus civis differt a subiecto noncivi. Interim tamen si fieri posset, vt ille certo respectu tamquam noncivis spectari posset: contradictionem quoque non inuolueret, vt vnus idemque ciuitatis subiectus tamquam civis et tamquam noncivis, diverso tamen respectu, habendus esset.

Sch. a) Demonstrationem huius propositionis suppeditare superuacaneum erit. Quodlibet enim esse vel non esse i. e. inter duo contradictorie opposita membra non dari tertium in dubium nemo vocabit, nisi qui vel de primis totius cognitionis humanae principii dubitari debere praeciperet. Interea tamen, si quis non esset contentus: attendat ad quamvis ciuitatem, et in ea praeter imperantem non nisi ciues, aut alios qui noncivis sunt, erit deprehensus.

§. V.

Princeps qua talis habet imperium siue ius dirigendi actiones ciuitatis subiectorum in finem reipublicae (§. 2.) i. e. securitatem, (§. 3.) eatenus tamen tantum, quatenus ad finem illum sunt obligati (§. 2. cor 6) Conf. §. 1. cor. 7. Iam verodum finis ille, ad quem obligati sunt, sub duplici determinatione spectari potest, scilicet, vel quatenus non turbatur vel quatenus insuper promouetur (conf. §. 2. sch. e) (aliud enim est, non turbare securitatem reipublicae; aliud securitatem non solum non turbare sed et promouere et augere): obligatio etiam duplici ratione determinata concipi potest. Est scilicet vel obligatio ad finem non turbandum; vel obligatio ad finem reipublicae non solum non turbandum sed et insuper promouendum. Quae nam obligatio unicuique ciuitatis subiectorum ordini, i. e. quae nam subiectis ciuibus, quae nam subiectis non ciuibus competat, in id nunc erit inquirendum.

§. VI.

Subiectos ciues ita quidem ad finem reipublicae perfecte obli-

obligatos esse, vt eum non solum non turbent, sed etiam vires suas ad eum obtinendum et promouendum adhibeant; subiectos vero nonciues (qua tales) tantum eum in modum ad finem reipublicae, eundem vt non turbent actionibus suis, perfecte obligatos esse ex principiis I. N. est affirmandum. *a)* Inde sequuntur:

1. Subiectus nonciuis qua talis obligatus est tantum ad id, vt actionibus suis securitatem reipublicae non turbet. Hinc si actionibus suis (et quatenus iisdem) non turbat securitatem reipublicae: tunc obligationi suae ad finem reipublicae conuenienter viuunt.
2. Subiecti igitur nonciues, qua tales, actionibus commissiuis ad finem reipublicae non sunt obligati. *b)*
3. Qui ergo spectari potest vt subiectus nonciuis, ille, quatenus sic spectari potest, etiam ad id tantum obligatus est, vt actionibus suis non turbet securitatem reipublicae. Et si actionibus (quarum scil. respectu vt subiectus nonciuis spectari potest) non turbat securitatem reipublicae: obligationi suae conuenienter viuunt.
4. Subiectus nonciuis in respectu ad rempublicam non agit contra obligationem, si non agit contra securitatem reipublicae (cor. 1) Cuilibet vero enti intelligenti & libero pro libertate sua agere concedendum est, dummodo non contra obligationem suam agat. Subiectus itaque nonciuis in respectu ad rempublicam, i. e. in relatione ad obligationes perfectas (conf. §. 2. sch. c.) agere potest, quae placent; tantum non turbet securitatem reipublicae *c)*
5. Princeps qua talis habet ius efficiendi vt civitatis subiecti obligationi suae conuenienter vivant (§. 2. cor. 9) Ergo respectu civitatis subiectorum nonciuium habet ius efficiendi vt ne actionibus suis turbent securitatem reipublicae (cor. 1.). Ius ad finem, dat ius ad media (legitima scil.). Ergo respectu subiectorum nonciuium princeps qua talis habet ius inspiciendi et inspectionem in omnes eorum actiones, eateenus scil. vt ne turbare possint securitatem reipublicae.
6. Si quis subiectus civitatis respectu actionum suarum obligationi suae conuenienter viuunt: circa easdem actiones ius diri-

dirigendi princeps qua talis non habet (per §. 2. cor. 10.) Quare quum hocce dictum, quod de ciuitatis subiectis in genere valet, etiam subiectis nonciuibus competere debeat: clarum de his est, quod si actiones suas obligationi conuenienter instituunt, i. e. iisdem non turbant securitatem reipublicae (cor. 1.), easdem dirigendi ius princeps qua talis non habeat. Exinde affirmanda erit propositio sequens: Quaecumque actiones subiectorum nonciuium ita sunt comparatae, vt non turbent securitatem reipublicae, eas dirigendi ius princeps qua talis (ad quam determinationem attendere velit lector Conf. §. 2 cor. 7. sch.) non habet. Hinc si ius illud habet: ex alia ratione, quam quatenus spectatur vt princeps, habeat necesse est.

7. Ex cor. antec. sequitur: simulac subiectorum nonciuium actiones ita comperatae incipiunt esse vt turbent securitatem reipublicae: statim circa eiusmodi actiones (quae, et quatenus turbant securitatem reipublicae) princeps qua talis ius dirigendi accipit.

8. Quod cor. 6. 7. de iis, qui sunt subiecti nonciues, dictum, vt etiam ad eos, qui ceu subiecti nonciues spectari possunt (et ad actiones, respectu quarum ceu subiecti nonciues spectari possunt) applicemus, cor. 3. permittit.

Sch. a.) Demonstrationem huius propositionis ex primis principiis deductam h. l. suppeditare, scripti praesentis limites non admittunt. Interim Lectorem eius cupidum ablegamus ad Institutiones Iurisprud. Vniuersal. §. 713., quas publici iuris fecit Cel. Daries, Vir maximi nominis inter Philosophos Ienenses, cuius in philosophiam merita iudico maiora, quam quae laudibus meis exegerant et satis celebrari possunt. Conf. iudem Cel. Köhlerus Iur. Soc. §. 46. "licet itaque, aientis, quis viuat inter socios: "pro socio tamen is intuitu iurium et obligationum non habetur, "si pacti, cui superstructa est societas, non sit particeps." Et suo modo applicari etiam possunt hac in re verba Illustris Böhmeri in "Iur. Publ. Vniuers. Part. Special. L. III. Cap. I. §. 14. not. o) caeterum, inquit (subditi temporarii, e. i.) qui a nobis dicuntur subiecti

Subiecti nonciues) a reliquis perpetuis subditis adhuc in eo differunt, quod nexu illo non contineantur, qui peculiariter inter ciues perpetuos constitutus est. Idem Lib. III. Cap. III. §. 3. not. (a) dicit; Patet exinde, quod subditorum inter se fit longe diuersa ratio, ac extraneorum, qui in eandem societatem civilem non sunt suscepti.,,

Sch. b) Dubium aliquod vt remoueamus, forsitan erit necessarium. Concludere quis posset: Subiecti nonciues etiam ad actiones commissiuas siue positue obligati esse possunt (e.g. Extranei, qui in territorio ciuitatis sunt, obligati sunt vt soluant vectigal pro vsu viae, pontis etc.; item pro facultate vendendi in foro publico negotiandiue hoc vel illo mercaturae genere; item pro secura bonorum suorum in territorio existentium possessione; et sic porro. Obligati itaque sunt positue et ad actiones commissiuas). Id quod tamen propositioni Cor. 2. positae contrariatur. Sed Resp, quod minus. Concedo extraneos, iidem subiectos nonciues, positue et ad actiones commissiuas in republica posse obligari (exempla allegata id docent); sed qua tales ita obligari posse, id est obligari posse ex ea ratione quia sunt extranei siue subiecti nonciues, et eo respectu quo sunt extranei seu subiecti nonciues, nego. Id quod ex exemplis allegatis facile clarum reddi poterit. Ponamus namque extraneum A obligatum esse ad soluendum vectigal pro eo, quod iter facit in via quadam m. Ergo A ad id obligatus est vel qua extraneus; vel non qua talis, sed ex alio fundamento. Si A qua extraneus est obligatus: ratio obligationis ad soluendum vectigal pro itinere in via m est in caractere extraneitatis (concedat B. L., vt ita loquar). Posita ratione, ponitur ratiocinium, ergo vbi iste caractere, ibi obligatio ad soluendum vectigal pro itinere in via m. In quolibet vero extraneo est iste caractere. Ergo quilibet extraneus, Ergo etiam is qui iter nunquam facit in via m, ad soluendum illud vectigal est obligatus. Quod falsum. Adeoque exinde patet, A non esse obligatum qua extraneum, sed quatenus vritur re quadam publica. Ponamus porro, B extraneum obligatum esse ad soluendam pecuniam n pro licentia negotiandi in territorio; ponamus eum obligatum esse qua

C 2

extra;

extraneum. Ergo in caractere extraneitatis est ratio obligationis ad soluendam pecuniam n. Ergo quilibet extraneus obligatus erit ad soluendam pecuniam n. Id quod falsum. Exinde iterum patet, B ad soluendam pecuniam non esse obligatum, quia extraneum, sed quatenus habet negociandi licentiam. Ponamus denique, Extraneum C esse obligatum ad soluendam pecuniam o pro secura possessione et usurpatione boni alicuius e. g. horti. Tunc ex data in antec. demonstratione clarum est, C non quia extraneum sed quia possessorem horti ad soluendam pecuniam o esse obligatum. Ex omnibus hisce et aliis eiusmodi exemplis patebit, extraneo qua tali, ergo nec subiectis nonciuiibus qua talibus, non incumbere obligationes positivas i. e. ad actiones commissiuas in respectu ad finem reipublicae. Si quis obieceret casus summae et absolutae necessitatis (vbi loquuntur Doctores I. N.): respondeo a) vti inter arma, sic et in eiusmodi casibus silent leges, b) exemplis non est iudicandum, sed legibus.

Sch. c) In consensum h. l. adduci potest. Ill. Böhmerus Jur. Publ. Vniv. Lib. I, Cap. V. §. 19. 'Permittendum est, dicens, vt "subditi innoxia vtantur et fruantur libertate; quantum salus publica hoc permittit..'

§. VII.

Si actiones subiectorum nonciuium non turbant securitatem reipublicae: tunc eas dirigendi ius princeps qua talis non habet (cor. 5. Conf. §. 2. cor. 7.); si vero turbant, tunc tantummodo habet (cor. 6. Conf. §. 2. cor. 6.). Ergo To turbare securitatem reipublicae est id, ex quo vnice concipitur ius dirigendi actiones subiectorum nonciuium principi qua tali competens. Hinc est vnica huius iuris ratio sufficiens (per def. Rat. Suf. Dum praeterea is, qui plura sibi in alterum iura vindicat, quam quae ipsi competunt, alterum laedit, ergo contra leges perfectas atque ideo illegitime agit (per princ. I. N.): exinde etiam patet, quod respectu actionum subiectorum nonciuium To turbare securitatem reipublicae vnice sufficiens vniceque legitima ratio principi sit, cur ipsi qua tali a) dirigendi ius circa eiusmodi actiones competere possit.

Sch. a)

Sch. a) Attendat et h. l. ad ea B L. quae §. 2. cor. 7. sch. sunt dicta.

§. VIII.

Quod si plures homines ad finem aliquem communem obtinendum coniunctas conferre vires videmus ; eos in *Societate* esse dicimus. Ii, qui in societate sunt, membra societatis siue focia quolibet appellantur.

1. Subiecti cives eum habent finem, vt viribus suis finem rei- publ. i. e. securitatem promoveant ; ideoque ad finem illum obtinendum vires suas coniungunt (§. 6.). Hinc complexus subiectorum civium constituit societatem, & quidem eam, cuius finis est sustentatio ac promotio securitatis publicae (loc. cit.).
2. Socius qua talis, & quamdiu talis est, est obligatus vt actiones suas (quarum respectu scil. est focus) ad finem societatis, cuius est membrum, conferat.
3. Qui ergo actiones suas ad finem alicuius societatis conferre non est obligatus, non est eius societatis membrum.
4. Societas intendit coniunctis viribus communem obtinere finem. Qui habet ius ad finem, habet ius ad media (quibus scil. alter non laeditur) per princ. I. N. Si ergo societas legitimam habet finem, ad omnia etiam, quae sunt media ad obtinendum finem facientia (saltem talia esse a societate iudicantur) agenda ius habet, dum modo actionibus illis alterum non laedat.
5. Societas intendit finem societatis suae obtinere, non impedire ; & pro fine obtinendo, non vero contra finem, agere. Societatem constituunt Socii. Ergo cuilibet focio competit ius curandi & postulandi, vt alter focus pro fine obtinendo, non vero contra finem societatis, agat.
6. Socii quatenus societatem constituunt, actionibus commissivis aliquid (scil. finem societatis) existentiae dare intendunt ; atque ob id ratione virium suarum sunt in nexu. Quicumque ergo ideo sese non coniunxerunt, vt actionibus commissivis

finem aliquem efficiant existentem, ii eatenus non constituunt societatem, Ergo non sunt socii, proprie dicti (conf cor. 3.) Subiectos itaque nonciues qua tales tam inter se inuicem quam in respectu ad finem reipublicae non esse in societate nec socios dici posse patet. (cor. 3. conf. §. 6. cor. 2.)

Sch. a) Alii Doctores I. N. definiunt societatem generatim, quod sit status, quo personae in personam competit ius perfectum & affirmativum. Sed dum h. I. non intendimus, conceptum de societate adaequatum exhibere, sed tantum characterem indicare, a cuius positione ad positionem societatis certo potest concludi: definitionem dictam in §. adduxisse non fuit opus. Interim conceptus vtrosque facile conciliari, & alterum ex altero deduci, posse, perspicuum est ei, qui idearum cum terminis illis coniunctarum vim habet cognitam.

Sch. b) Vt tantum de societate humana loquamur, intentio nostra permittit. Ideo per terminum: Societas, in sqq. semper intelligimus societatem hominum.

§. IX.

Membra, suae Socii, vnius societatis A, qua talia, non sunt membra alterius societatis B, diuersam habentis finem. Quatenus enim quis est societatis alicuius membrum, eatenus obligatus est, actiones suas ad finem huius, non vero aliae, societatis conferre (§. praec. cor. 2). Quod si quis ergo est membrum societatis A: quatenus vt tale spectatur, obligatus est actiones suas fini societatis A, non vero fini alterius ab A diuersae Ergo nec societatis B, conformiter instituire. Quicumque vero actiones suas ad finem societatis B dirigere non est obligatus, ille non est membrum societatis B (§. praec. cor. 3). Si ergo quis est socius vnius societatis A, qua talis non est membrum societatis B quoad finem a societate A diuersae,

1. Ex limitatione (qua talia) propositioni adiecta clarum est, quod si possibile sit, vt membrum societatis alicuius A respectu quarundam actionum non qua tale sed qua membrum societatis

tatis alterius B spectetur : possibile itidem fit , vt vna eademque persona qua membrum societatis A & qua membrum societatis ab A diuersae , diuerso tamen respectu, possit haberi.

- 2, Prius vero quum contradictionem non inuoluit (quod tam a priori ex principiis I. Soc , quam a posteriori per experientiam ostendi facile poterit) : posterioris possibilitatem evincere velle, esset superfluum agere.

§. X.

Si societas certis iuribus connatis gaudet : tunc iurium istorum exercitium eiusque directio societati (i. e. iis, qui societatem constituunt) competit, nisi alter nonsocius ex legitima quadam ratione habeat ius, directionem istarum actionum sibi vindicandi. Ponamus namque societatem certis iuribus connatis (i. e. eiusmodi iuribus, quae societati per suam ipsius naturam competunt) gaudentem. Tunc, quia iura alicuius connata ad suum eius connatum pertinent ; & nemo impediti potest, quominus de eo, quod suum est, pro arbitrio proprio disponat, absque tamen laesione alterius (per Princ. I. N.) : Societas etiam, id est membra societatis iura sua exercere & actiones iuribus suis conuenienter instituere, easdemque pro arbitrio proprio determinare possunt, vt fiant sic nec aliter ; dummodo alium non laedant. Ponamus vero alterum quemdam ex legitima ratione habere ius, directionem istarum actionum sibi vindicandi : tunc societas non amplius pro arbitrio iura sua exercendi & actiones iuribus hisce conuenienter instituendi ius habet, sed sese ad directionem illius, cui competit dirigendi ius (per hypoth) conformare debet. Alias namque impedit, quominus alter ille ius suum exerceat, Ergo alterum laedit (nam qui illegitime impedit, quominus alter ius suum exerceat, alterum laedit per princ. I. N.), id quod vero est contra principium : neminem laedas. Hinc si societas certis iuribus connatis gaudet, eadem agendo exercere, & pro lubitu determinare potest, vt a membris societatis exerceantur sic nec aliter ; a) nisi alter non socius ex legitima quadam ratione habeat siue accipiat ius, directionem istarum actionum sibi vindicandi,

i. Si

1. Si ergo societas iuribus connatis gaudet : tamdiu exercitium actionum iuribus hisce conuenienter institutarum pro arbitrio determinare potest, quam diu alter non socius non habet, siue accipit, ius istas dirigendi actiones.
2. Id quod de societatis in genere dictum, valet etiam de speciebus. Ponamus itaque societatem in ciuitatis territorio existentem et per approbationem receptam : tunc societas ista, si certis gaudet iuribus connatis, iura ista exercendi et actiones hisce iuribus conuenienter instituendi, & determinandi vt fiant sic nec aliter, ius habet; nisi, & quamdiu non, alius quidam non socius ex legitime quadam ratione habeat ius, sibi directionem istarum actionem tribuendi.

Sch. a) De societate affirmamus, quod Cel. Böhmerus Iur. Publ. Vniuers. Libr. II. Cap. IV §. 12. de specie quadam societatis asserit „quilibet collegio, dicens, integrum est, per modum pacti aliquid „statuere de negotiis collegii, secundum quod in iis procedatur.“

§. XI.

Principia haecenus explicata ad ecclesiam eiusque membra applicare erit opus. Antea vero conceptum ecclesiae, generatim atque ita extra territorium ciuitatis spectatae, quantum pro scopo nostro erit satis, determinare debemus.

§. XII.

Si quos certa ratione DEum colere perspicimus : tribuere ipsi Religionem solemus. Et si complexum eiusmodi personarum deprehendimus, qui mutuis consensibus sese ad eum finem obligarunt, vt certam religionem exercere, et quod ad illam exercendam pertinet, communibus exequi viribus velint : tunc complexum eiusmodi personarum *Ecclesiam* ; et personas ecclesiam constituentes, membra ecclesiae nominare, est vñtatum.

1. Membra ecclesiae sese mutuis consensibus ad certum obligarunt finem.
2. Finis ecclesiae est religio siue determinata DEVM colendi ratio, eiusque exercitium,

3. Qui-

3. Quilibet qui non est talis (nec spectari potest qua talis), qui consensu suo sese ad religionem quamdam obligavit, non est (nec spectari potest qua) membrum illius ecclesiae.
4. Membrum ecclesiae fit tale per consensum. Quem liberum esse debere, ex principiis psychologicis (naturam voluntatis, omnem externam coactionem, aequae ac intellectus, impatientis explicantibus) item ex natura religionis, patet.

§. XIII.

Quod si plures homines ad finem aliquem communem obtinendum vires coniunxerint, atque sic ad finem eius existitiae dandum obligatos, perspicimus: tunc eosdem in societate esse quilibet loquitur (per §. 8. cor. 2.). Iam dum membra ecclesiae ob consensum suum ad finem aliquem communem sunt coniuncti et obligati (§. 12. cor. 1.); et complexus membrorum ecclesiae ecclesiam constituit: *Ecclesiam esse Societatem e- ric affirmandum. a)*

1. Societatem hanc esse aequalem, et (quum ceu in territorio existens spectatur) collegium b), ex definitionibus Societatis aequalis et collegii; et ex natura religionis et ecclesiae, patet.
2. Membra ecclesiae sunt membra societatis cuiusdam, cuius finis est religio eiusque exercitium (§. 12. cor. 2.)
3. Societatem hanc esse liberam societatem, exinde etiam patet, quia membra ecclesiae sese ipsos libero consensu ad finem ecclesiae obligarunt (§. praec. cor. 4.).

Sch. a) Eandem propositionem ex definitione in Sch. a) §. 8. allegata, aequae facile poterit deduci.

Sch. b) Propositiones: Ecclesia est Societas, est societas aequalis, est collegium, absque probationibus h. l. ceu veras assumere potuissimus, si tantummodo ex concessis disputandi fuisset animus. Habemus enim Cel. Istos nobiscum, quod veritatem harum propositionum spectat, consentientes, quarum auctoritatem allegasse, saltem

saltem respectu quorundam lectorum (in quorum gratiam etiam solummodo verba Cel. Ictorum in scholiis recitamus) sufficisset. Conf. Cel. Böhmerus Iur. Eccl. Protest. Tom. I. Dissert. Prael. §. 4. item Instit. Iur. Can. Lib. I. Tit. I. §. 4, 5. Cel. Engau Elem. Iur. Can. proleg. §. 39. aliique. Interim tamen probationem brevibus suppeditare satius est visum.

Sch. c) Affirmo (affirmant et omnes Doctores I. N. et I. Can.) Ecclesiam esse societatem. Iam quum societas inuoluat statum, quo personae in personam competit ius perfectum et affirmatiuum, et alteri parti obligatio perfecta et affirmatiua (quippe iura socialia et obligationes sociales perfecta sunt perfectaeque, per Princ. I. N. Conf. §. 8. sch. a), adeoque coactionem, externam scilicet, admittunt; quaestio ex hisce principiis moueri poterit; An et in quantum coactio externa in ecclesia habeat locum? Quaestio haec (quippe fundamentum disciplinae ecclesiasticae) est summi ponderis; et (Si veritas propositionum ab omnibus concessarum: scilicet, ecclesia est societas; obligationes sociales sunt perfectae et affirmatiuae, salua manere debet) non prorsus simpliciter neganda. Quam vero limitationem et quas determinatio- nes esse adiiciendas, ita vt nec veritati nec libertati conscientiae religionis et ecclesiae, imperium non admittentis, noceatur, nec conclusiones ecclesiam in rempublicam iterum transforman- tes exinde suboriantur, id nuncrite ponderatu atque explicatu est impossibile. Hinc mentionem eius in transitu fecisse sufficiat; plena eius materiae excussio atque consideratio singularem requi- rit laborem.

§. XIV.

Posita ecclesia ponitur societas (§. 13.) eiusmodi persona- rum, quae eundem finem communiter actionibus suis obtinen- dum intendunt, ideoque sese coniunxerunt et obligarunt (§. 12.). Iam quum quodlibet ecclesiae membrum ius habeat ab altero postulandi, vt ne contra finem ecclesiae agat, sed potius vires suas ad finem communi studio conferat (§. 8. cor. 5.); et simi- litudo in ratione (obiectiua), qua varia coniunguntur, inuol-

na

uat ordinem (per princ. Metaph.): *Quodlibet ecclesiae membrum, ergo ecclesia, habet ius efficiendi, ne quid fiat ab ecclesiae membris contra ordinem ecclesiae.*

Sch. Ex natura ecclesiae sequi, eam ordine non posse carere, affirmat, itidem Cel. Engau Elem. Iur. Can. Prol. §. 6, Cel. Böhm. Iustit. Iuris Can. Lib. I. Tit. I. §. 7. Idem Iur. Publ. Vniv. Lib. II. Cap. V. §. 12. „in omni collegio priuato, ait, „(cuiusmodi est ecclesia per §. praec.) ordine et decenter omnia peragenda; et quae huc spectant, collegium potest ordinare.

§. XV.

Posita ecclesia ponitur societas eiusmodi personarum, quae eum habent finem, vt DEVM determinata ratione colant (§. 12. cor. 2.). Quum vero qui habet finem (legitimum scil.) etiam ad eligenda optima media (itidem legitima) non solum ius habeat sed et obligationem (per princ. I. N. et §. 8. cor. 4.): membra etiam ecclesiae ad hunc suum finem (qui a nemine illegitimus haberi nequit) optima commodissimaque media eligendi ius habent (dumr odo neminem laedant). Inter media cultum DEI promouendi commodissima a) etiam id institutum referri potest vt (ratio DEVM colendi i. e.) doctrinae 1) cognitionem de DEO rebusque diuinis fundamentalem, siue cultum internum, exhibentes, 2) modumque optime hanc cognitionem ad praxin deducendi siue cultum externum praescribentes, determinentur et praesertim litteris consignentur. Ex quo quum ortum trahant Libri, qui dicuntur Symbolici et Lithurgici: *posita ecclesia membris ecclesiae (Saltem si commodum sibi esse arbitrantur) ius libros constituendi Symbolicos et Lithurgicos est concedendum.*

Sch. a) Non quidem simpliciter dici potest, in se esse commodissimum cultum DEI promouendi medium, vt Libri Symbolici et Lithurgici constituantur. Possibilis namque ecclesia est, quae hoc medio potest carere. Interim tamen ea etiam non est intentio nostra, vt affirmemus, quod posita ecclesia etiam absolute necessaria sit librorum symbolicorum conscriptio. Sed id tantum verum esse

defendimus, quod posita ecclesia sequatur; ut, si membra illius necessarium esse iudicent, tunc libri symbolici sint optima respectu huius ecclesiae media (conf. §. 8. cor. 4.). Adeoque sequitur, ecclesiae membris ius libros condendi symbolicos, eiusque iuris exercitium, si necessarium ipsis est visum, esse concedendum.

§. XVI.

Posita ecclesia ponitur societas, quae DEVM colendi finem intendit; hinc etiam ad media (legitima scilicet) habet ius (per §. 8. cor. 4.). Cultum DEI, speciatim externum, promouendi aptissimum est (si non in se, est tamen tale habendum, quando ecclesia tale esse iudicat l. cit.) ponere regulas determinantes, quomodo ecclesiae membris actiones externae sint dirigendae, ut, quod talis ecclesiae membra decet, obseruare atque hinc sese huius ecclesiae membra esse declarare possint. Eiusmodi regulae quum dicantur Leges ecclesiae: patet, posita ecclesia ecclesiae membris (si scilicet, pro sine societatis suae necessarium arbitrantur) Leges ecclesiae ferendi ius competere.

Sch. a) Quod ius leges ecclesiae ferendi ex ecclesiae natura sequatur, Cel. Böhmerus Iur. Eccl. Proreft. Tom. I. Diff. praelim. §. I. asserit „ea est ratio societatum, inquit, inter homines „erectarum, ut sine legibus conservari et ad finem, quem sibi „proposuere, peruenire nequeant - - Sunt itaque Leges illud „ipsum medium, per quod hi, qui societatem quamcumque ine- „unt, finem societati propositum obtinere possunt - - . Neque „aliter dicendum de societatibus ecclesiasticis - - .”

§. XVII.

Posita ecclesia sequentia adhuc (et eius generis plura) ecclesiae membris propria iura legitime competunt:

1. Ius praesentandi, eligendi; nominandi, vocandique Doctores & ministros ecclesiae.
2. Ius institutionis gratia certo loco conueniendi; hinc ius habendi conciones. Huc refer ius concilia conscribendi; it. ius instituendi scholas, earumque curam agendi.
3. Ius

3. ius ceremonias determinandi, & de rebus adiaphoris praescribendi.
4. ius hunc vel illum socium, si obligationi suae convenienter vivere pertinaciter non vult & statutorum violator esse admonitus perdurat, a consortio excludendi.
5. ius (legitime) acquirendi bona, legitime acquisita possidendi, administrandi (hinc administratores constituendi) alienandi &c.

Posita namque ecclesia ponitur societas eiusmodi personarum, quae eum habent finem, ut DEum determinata ratione colant (§. 12. cor. 2.); quem legitimum esse facile quilibet concedet (saltem ceu illegitimus in respectu ad ecclesiam a nemine haberi nequit, quia ecclesiam adhuc extra territorium spectamus (per hypoth. §. 11.)) Posita itaque ecclesia ponitur societas, quae legitimum habet finem. Societas si legitimum habet finem, ad omnia quoque agenda ius habet, quae sunt media ad illum facientia, vel saltem talia esse a societate iudicantur; dummodo iisdem alii non turbentur (§. 8. cor. 4.) Ergo etiam ecclesiae, ad omnes sequentes actiones, scil. electionem doctorum ecclesiae, conventum certo loco institutum cet. cet (si easdem esse media ad finem suum obtinendum arbitratur) ius competit; dummodo actionibus suis neminem laedant. Ergo ecclesia habet ius praesentandi &c

Schol. a) Si cui hoc loco opinio forte suboriretur, quod iura, leges ecclesiae ferendi (§. praec.), praesentandi, de rebus adiaphoris & ceremoniis conclusum faciendi &c. membris ecclesiae ceu propria competere affirmando eadem iura directioni principis respectu ecclesiae in territorio eius existentis non subesse affirmetur; redeat rursus ad §. 11. Quem relegens si adhuc dubio suo cruciatur: per me licet.

Sch. b) Singulae quidem in §. contentae propositioni propria addi demonstratio potuisset. Eundem vero medium terminum semper repetere & absque necessitate per ambagines ire, quid iuvat?

Schol. c) Quod ad §. 15. sch. a) dictum, etiam h. l. erit monendum.

§. XVIII.

Iura huc usque a §. 14-17. recensita omnia, ecclesiae competentia, sunt iura ecclesiae connata. Iura namque dicta omnia in notione ecclesiae (§. 12.); & in eo, quod ecclesia sit societas (§. 13) rationem habent sufficientem; hinc legitime exinde fluunt, & ecclesiae competunt posita ecclesiae notione (per induct.) Notio rei exprimit rei essentiam (per princ. Log.) quae si ut existens spectatur, natura rei dicitur (per princ. metaph.). Iura itaque dicta ecclesiae (i. e. membris eius iunctim sumtis) per suam naturam competunt a). Iura alicuius per suam ipsius naturam ipsi competentia dicuntur iura connata (per princ. I. N.). Iura itaque dicta sunt iura ecclesiae connata.

I. Posita re (existente), ponitur rei essentia (& natura). Hinc posita ecclesia, semper ponenda sunt, iura ipsius connata. Ponamus itaque ecclesiam in territorio ciuitatis existere: etiam iura ipsius connata ipsi competere est asserendum (qui contrarium assumit, ille rei competere essentiam, sed essentialia & attributa non competere affirmat); & hinc itidem iurium istorum exercitium ecclesiae competere debet, (nisi impedimentum legitimum obstet, quod tamen vnicum tantum esse infra docebitur) conf. §. 8. cor. 4.)

Sch. a) Iura dicta omnia a §. 14-17 recensita) competere ecclesiae per suam naturam affirmat itidem Cel. Böhmerus in lur. Publ. Vniuers. Lib. II. Cap. V. §. 11. (t) Quando homines societates inter se constituunt cultus diuini gratia, *neceesse est ut actiones quoque societati illi conuenientes producant* & §. 12., *ex natura huius collegii* (ecclesiae scil. nam de ea loquitur) *descendit, quod possint membra eiusdem constituere doctores, aliaque de terminare circa modum, personas locum, tempus &c.* & §. 13. *neque mutatur huius collegii natura,* item Conf. aliquo modo *Eiusdem Instit. Iuris Can. Lib. I. Tit. I. §. 7.*

§. XIX.

§. XIX.

Iura §. 14 - 27. recensita omnia, sunt iura omnibus ecclesiae membris aequali rationi competentia. Iura enim dicta ecclesiae competunt per suam naturam (§. praeced.) Ecclesia, per suam naturam est societas et quidem aequalis. (§. 13. cor. 1.) Iura societati aequali competentia omnibus huius societatis membris aequali ratione competunt *a)* (nam societas aequalis nil ponit nisi complexum membrorum dictam societatem inter se habentium) per princ. I. N. Hinc iura dicta omnibus ecclesiae membris aequali ratione competant, necesse est. *b)*

1. Quod si per hypothesin sumimus, ecclesiam in ciuitate quadam existere: ecclesia erit Collegium dicendum *c)* (§. 13. cor. 1.) Ideoque dicta iura esse iura omnibus collegii membris aequali ratione competentia est affirmandum *d)*
2. Iura collegio cuidam, et quidem omnibus eius membris aequali ratione competentia dicuntur iura Collegialia. Ergo si ecclesia quaedam vt existens in ciuitate sumitur: iura §. 14 - 17. recensita omnia summa cum ratione iura Collegialia possunt dici.
3. Natura collegii, cuiusmodi est ecclesia, exinde conclusionem deducere speciatim permittit, quod iura illa §. 14 - 17. recensita, non aliter, ac iura collegialia decess, i. e. eorum naturae finique conuenienter exerceri dirigitque a quoquam possint.

Sch. a) Antequam scil. delata sunt in hunc vel illum; adeoque hoc facto vni plus quam reliquis comperere possunt.

Sch. b) Ponamus itaque, ecclesiam quandam in ciuitate existere et imperantem ciuitatis esse membrum ecclesiae: qua tale tantum, (i. e. nondum qua membrum, cui delata sunt iura quaedam) spectatur, quoad negotia actionesque ecclesiae aequale modo eum caeteris membris ius habebit. Qua in re consentientem adducere liceat Ill. Böhmverum Iur. Publ. Vniu. Libr. II. Cap. V. §. 13. not. (x) „Accedit, aientem, imperans ad ecclesiam non qua talis „et

„et sic fit hoc respectu membrum ecclesiae; et quatenus est membrum huius collegii, plus iuris non habet, quam caeteri „ Diximus subintelligendam esse conditionem, si scilicet imperanti nondum plus iuris delatum esset. Idque summa cum ratione. Eo enim in casu quo scilicet delatio iam facta fuit, (qui et gr. praesertim in omnibus protestantium principum regionibus locum habet) Imperans omnino plus iuris, quam reliqua huius collegii membra, habebit.

Sch. c) Haec propositio speciatim sic poterit etiam probari: Ecclesia est societas aequalis (§. 13. cor.); et si in ciuitate existit, est societas partialis siue subordinata. Societas vero partialis in ciuitate, si est aequalis, dicitur Collegium. Ergo ecclesia poterit collegium nominari. Conf. Cel. Böhmerum Iur. Publ. Vniuers. Lib. II. Cap. V. §. 11. it. Libr. II. Cap. IV. §. 4. not. (u).

Sch. d) Sub ea scilicet mentionem in schol. praec. a) fecimus, conditione.

§. XX.

Iam nunc ecclesiam sub ea determinatione, quatenus in territorio ciuitatis cuiusdam existit, et hinc relationem ad principem in ciuitate accipit, spectemus; et videamus, quaenam iura et quatenus principi ciuitatis qua tali (ad quam determinationem ut attendatur, iam in antec. monui a)) circa ecclesiam in territorio ditioni eius subdito existente competunt; & an omnia principis iura, circa ecclesiam eiusque negotia quae habet, ipsi qua principi (i. e., ut alii loquuntur, ut superioritatis et iuris territorialis) competant.

Sch. a) Sed quaerere quis posset, an lectores arbitrarer fungos, et de sano eorundem iudicio absque omni ratione eum in modum desperarem, ut vnam eandemque cantilenam semper cantando centies et omnibus fere paginis monere pergam, ad determinationem: qua talis attendatur caveaturque, ne propositione quadam, cui ista determinatio adiecta est, simpliciter accepta falsas et nescio quas periculosas sibi quis fingat cogitationes. Lectorem quemlibet, materias ius Naturae spectantes legere ac diiudicare sibi fumentem, ita regulis imbutum debere esse logicis, ut propositio-

nes, quae subiecto sub certo caractere spectato praedicatum aliquod competere vel non competere exhibent, ab iis, quae subiecto simpliciter posito i. e. non sub eo caractere spectato praedicatum aliquod competere vel non competere dicunt, distinguere possit; et non ex illis easdem, quas ex hisce et v. v. conclusiones deriuari debere sciat. Semel haec monuisse satis fuisse; non vero iterata et iterum iterata vnus moniti repetitione nauseam creare licere. Ita agere esse actum agere, i. e. agere absque ratione sufficiente. Respond. Tamen non omni. Forsitan enim non semper Lectores ei, qui objectionem istam format, similes inuenire contingit. Me superflua, et respectu cuiuslibet lectoris logici odiosa quoque, dixisse, concedo totus; tantummodo concedatur mihi, superflua non semper esse inutilia; et interdum necessaria.

§. XXI.

Membra ecclesiae in ciuitatis cuiusdam territorio existentis, qua talia, non sunt ciues; sed, ceu subiecti nonciues respicienda. Membra ecclesiae qua talia sunt membra societatis, cuius finis est religio eiusque exercitium (§. 13. cor. 2.) Ergo, qua talia non sunt membra eiusmodi societatis, quae alium et diuersum a fine ecclesiae habet finem (§. 9.) Ciues eorumque complexus eam constituunt societatem, cuius finis est Securitatis publicae promotio (§. 8. cor. 1.), cuius finis itaque est a fine societatis, quae ecclesia audit, diuersus. Ergo qua talia non sunt membra eius societatis, cuius finis est securitatis publicae promotio (§. 8. cor. 3.); Ergo qua talia non sunt ciues.

Membra ecclesiae existunt in territorio ciuitatis (per hyp.) Ergo sunt ciuitatis subiecti (§. 4.) Non vero sunt ciues (per dem. membr. 1.) Subiecti ciuitatis, qui non ad ciues pertinent, sunt subiecti nonciues (§. 4. Cor. 3.) Hinc membra ecclesiae in ciuitatis territorio existentis ad classem subiectorum nonciuium esse referenda, vltro patet, a)

E

x. Demons

1. Demonstratio in §. adducta suppeditat principia, ex quibus eam deriuare possumus propositionem, quod ciues qua tales non sint membra ecclesiae cuiusdam. (Nam ciues qua tales sunt membra societatis, quae finem habet promotionem securitatis publicae, Ergo non sunt membra societatis, quae dicitur ecclesia (§. 9.) Conf. 12 cor. 3. Hinc, si sunt membra ecclesiae, non tamen qua ciues ad ecclesiae membra pertinent.
2. sequitur itidem, principem reipubl. qua talem non esse socium sive membrum ecclesiae. Membra enim ecclesiae qua talia sunt subiecti nonciues. Ad quorum numerum quum princeps qua talis non possit referri (per defn. principis) patet principem qua talem non spectari posse qua socium ecclesiae in territorio eius existentis. Conf. Cel. Böhmerum Iur. P. Vniv. Lib. II. Cap. IV. §. 4. not. u) dicentem „ecclesiae quum se adiungit princeps, ibidem haud consideratur qua princeps „
3. Nec minus clarum est, subiectos nonciues qua tales non esse membra ecclesiae. Nam qua tales non sunt obligati ad finem ecclesiae (§. 6. cor. i.) Ergo qua tales non sunt membra ecclesiae (§. 12. cor. 3).
4. Membra ecclesiae qua talia respicienda sunt ut subiecti nonciues. Ergo secundum quas actiones subiectus quidam ad membra ecclesiae cuiusdam est referendus, secundum eas actiones est vt subiectus nonciuis habendus. Hinc actiones, quas subiectus quidam ciuitatis qua membrum ecclesiae instituit, vt actiones subiectorum nonciuium sunt respiciendae; & ad eas omne, quod de his valet, est applicandum.
5. Membra ecclesiae ceu subiecti nonciues sunt habenda. Ex quo sequitur, principi qua tali ius inspiciendi, summamque inspectionem in omnes actiones omniaque negotia ecclesiae, eam ob rationem, vt ne turbare possint reipubl. securitatem (§. 6. cor. 5.), competere b).

Sch. a)

Sch. a) Idem affirmat Cel. Böhmerus, quando (ortum civitatum sibi repraesentans) Iur. Publ. Vniu. Libr. II. Cap. V. §. 4. 5. dicit „Ciues (quum scil. imperio civili sese subiecerunt) non submisisse in causis religionem spectantibus voluntatem suam imperantis arbitrio (NB. intelligendum est: Imperantis qua talis. Nam spectat hoc loco Imperantem, quatenus imperium civile in se suscipit i. e. quatenus fit imperans. Ergo de imperante qua tali hoc loco est sermo) quum id ne quidem potuerint; adeoque subditos (respectu imperantis qua talis) retinuisse libertatem &c. Nonne exinde sententiam citati Auctoris eam esse sequitur: Ciues, dum tales facti sunt, in causis religionem spectantibus non factos esse nec fieri potuisse ciues; Ergo ciues quoad causas religionem spectantes, i. e. quatenus sunt membra ecclesiae, non esse tamquam ciues, adeoque ceu subiectos nonciues habendos.

Schol. b) Conf. III. Böhmerus Iur. Publ. Vniv. Lib. II. Cap. IV. §. II. item Cap. V. §. 6. „Imperans, dicens, prospicere & praecavere debet, ne sub praetextu sacrorum scelera fraudes coniurationes aliaque nefanda, committantur. Idem loc. cit. §. 15. speciatim nota (z) „Eo accuratiorem, inquit, inspectionem hae societates merentur, quo grauiora damna in rempublicam exinde redundare possunt, si a vero fine deflectunt.

Sch. c.) Dubium forsitan h. 1. vni alterive occurrere posset; quod tamen si in se sit leve, tamen vt adducatur haud erit inutile. Dicitur hoc in §. membra ecclesiae, qua talia, ceu subiectos nonciues respicienda esse. Subsumere quis posset: subiecti nonciues qua tales non sunt in societate (§. 8. cor. 6.). Indeque concludere posset: membra ecclesiae etiam respicienda esse ceu nonsocios, quod tamen contra §. 13. Sed respondendum idem vbi de eodem sub diuerso respectu affirmatur & negatur: tunc non adest contradictio. Membra ecclesiae in respectu ad finem reipubl. habenda sunt vt nonsocii (§. 9. cor. 6.); in respectu vero ad finem ecclesiae omnino sunt socii (§. 13. cor. 2.)

§. XXII.

Iura ecclesiae connata §. 14 Sqq. recensita ecclesia in territorio ciuitatis existens exercere & actiones iuribus hisce conuenienter instituire potest; nisi turbent securitatem reipublicae a). Membra ecclesiae in ciuitatis territorio existentis ceu subiecti nonciues sunt respicienda (§. praeced.). Subiecti nonciues agere possunt, quae sibi congrua videntur, dummodo non turbent securitatem reipublicae (§. 6. cor. 4. conf. §. 7.) Hinc etiam membra ecclesiae (qua talia i. e. eo respectu, quo sunt membra ecclesiae) actiones, quas volunt, possunt instituire, si sunt eiusmodi vt non turbent securitatem reipublicae. Quidquid valet de genere, valet de specie. Ergo etiam eas actiones, quibus iura sua connata exercent (siue iuribus suis conuenienter vivunt) instituire possunt membra ecclesiae, nisi turbent securitatem reipublicae (conf. §. 13. cor. 1.)

1. Hinc ecclesiae, in quacunque ciuitate & republica existat, vndiquaque iurium suorum connatorum concedere debemus exercitium, sub conditione scilicet, in §. apposita. Conf. §. 17. sch. c)
2. Ecclesiae itaque membra doctores eligere sibi, ceremonias determinare cet. (§. 17.) possunt b), quamdiu hisce actionibus non turbant securitatem reipublicae,
3. Cessante conditione cessat id quod, ea posita, est. Membra ecclesiae iura sua connata exercere possunt, sub ea conditione, si actiones istae non turbent securitatem reipublicae. Ergo simulae turbant securitatem reipublicae: impedimentum, adest, quominus actiones istas exercere nequeunt. (Conf. §. 6. cor. 7.)

Sch. a) Dum dicimus, ecclesiam in territorio existentem iura sua connata exercere pro arbitrio posse: facile pater, nos, tamen si vni-
eam tantum explicite posuerimus conditionem (scilicet, si agendo non turber securitatem reipublicae), subintelligere tamen & vi
antecedentium implicite apposuisse adhuc etiam haece duas (si
scilicet ecclesia consideratur eo in statu, quo directio iurium sibi ipsi

com-

comperentium nondum est delata; item, si spectatur ecclesia in respectu ad principem qua talem). Quas subintelligi conditiones luculentissimum est. Delatione enim directionis iurium iam facta, (sive exercitio iurium ecclesiae alterius directioni iam tradito conceditoque) ecclesiam non amplius proprio pro arbitrio quaevis iura exercere posse, in fine sch. b) §. 19. iam diximus. Hinc dum hoc loco affirmamus, ecclesiam adhuc proprio pro arbitrio quaevis iura sua (dummodo non turbet securitatem publicam) exercere posse; intelligendum esse, si scilicet delatio nondum est facta, pater. Alteram conditionem itidem adesse debere, ex eodem sch. b) §. 19. sequitur. Si enim ecclesiam spectamus in relatione ad principem, non vero qua talem: fieri potest, ut princeps habeat directionem iurium ecclesiae connatorum, non vero ipsa ecclesia (per loc. cit.). Hinc dum asserimus, ipsi adhuc ecclesiae (in territorio existenti, adeoque ad principem relatae) competere, ut exercitium iurium suorum proprio pro arbitrio dirigere possit; id vero asseri non posset, nisi ecclesiam spectarem in relatione ad principem qua talem: sequitur, quod dum ecclesiae attribuimus, exercitium iurium suorum pro arbitrio instituendum, eidem illud in relatione ad principem qua talem tantum tribuamus; id quod etiam ex loquutionibus, quae in proxime sequentibus § § adhibentur (ubi scilicet semper ecclesiam ad ad principem qua talem referimus) eo magis confirmatur. Ex dictis pater, sensum propositionis in §. hoc stabilitae, completere expressum, hunc esse: Ecclesia in ciuitatis territorio existens iura sua connata §. 14. sqq. recensita in respectu ad principem qua talem, & ante delationem factam, proprio pro arbitrio exercere potest, dummodo actionibus suis non turbet securitatem reipublicae. Atque sic quoque, si quis forte nos, dum ecclesiae (iam ceu in territorio existens spectatae) exercitium iurium suorum proprio pro arbitrio instituendum attribuimus, eo ipso ius dirigendi negotia ecclesiae Principibus denegari putaret, habet ex quo perspicere potest, se mirum in modum errare, & nobis contra omnem mentem nostram affingere falsa.

Sch. b) (Sub conditionibus in sch. praec. citatis id valere, vt etiam

iterum moneamus, concedat lector). Consentientem ea in re al-
 legare possumus Cel. Böhmerum, qui Iur. Publ. Vniuer. Lib. II.
 Cap. V. §. 4. §. „neque dici potest, ait, quod ciues submiserint
 „quoque in hisce causis (causis scil. religionis) voluntatem
 „suam imperantis (NB. qua talis, Vid. sch. a) §. praeced.) arbi-
 „trio, quum id ne quidem potuerint. Retinuere itaque subditi (in
 „respectu ad imperantem qua talem, per loc. cit.) libertatem, vt
 „possint colendi Dei gratia coire & sacra facere, dummo-
 „modo de caetero pacifice & tranquille viuant „ Idem
 „Lib. III. Cap. II. §. 25. asserit: „Ad iura, circa quae imperanti
 „(NB. intelligendum, qua tali) nullum competit ius, refero illa,
 „quae ad religionem spectant; quae iure naturae subditis libera
 „manserunt, „

Sch. c) Non solum in se, sed et respectu determinatarum quarundam
 ecclesiarum possibile esse, vt actiones, quibus iura sua connata
 exerceant, absque turbatione securitatis reipubl. institui possint, per
 se clarum est, et per experientiam facile confirmari potest. Hinc
 speciatim et secundum eminentiam de eiusmodi ecclesiis, quae
 per suam naturam iura sua connata ita exercere possunt, vt acti-
 onibus, quas iuribus suis conuenienter instituunt, non turbent
 securitatem reipublicae, valet quod in §. dictum est.

§. XXIII

Exercitium iurium connatorum ecclesiae in territorio quodam e-
xistentis, aut per approbationem receptae, Princeps qua talis non prohibe-
re, et illud dirigendi ius accipere non potest; nisi ob legitimam ratio-
nem. Ponamus namque ecclesiam quamdam in territorio ciuitatis
 existentem aut per approbationem receptam esse: tunc po-
 nimus societatem (§. 13.) in territorio ciuitatis existentem.
 Quod si eiusmodi societas certis iuribus connatis gaudet: iura
 ista exercere, et actiones iuribus hisce conuenienter institutas
 pro arbitrio dirigere, ergo in exercitio nullo modo impediri
 per quemlibet nonfocium potest, absque legitima ratione (§. 10.
 cor. 2.). Ergo idem de ecclesia dicendum, quod quilibet non-
 focius, ergo nec princeps qua talis (§. 21. cor. 2) exercitium isto-
 rum iurium prohibere, et actiones iuribus hisce conuenien-
 ter,

ter instituendas dirigendi ius habere possit, nisi ius istud sibi tribuendi rationem habeat legitimam.

§. XXIV.

Exercitium iurium ecclesiae in territorio quodam existentis con-
natorum (i. e. negotia et actiones ecclesiae) dirigendi ius, et hinc di-
rectionem, princeps qua talis non habet, nisi vnice ex ea ratione, si ne-
gotia ista turbant securitatem reipublicae. Actiones, quibus iura sua
connata exercet ecclesia in territorio existens (siue negotia mem-
brorum ecclesiae qua talium) respici debent vt actiones et ne-
gotia subiectorum nonciuum (§. 21.) Quare quum princeps
qua talis actiones et negotia subiectorum nonciuum dirigendi
ius non habet, nisi ex vnica illa ratione, si scil. turbant securita-
tem publicam (§. 7.): etiam propositionis positae veritas euicta
est.

1. Hinc si, et quamdiu, actiones et negotia, quae ab ecclesia ad exercenda iura sua connata suscipiuntur, non sunt contra securitatem reipublicae: tunc et tandiu easdem eademque dirigendi ius (ergo nec actualem directionem) princeps qua talis non habet, a)
2. Simulac vero et quamdiu turbant securitatem reipublicae: tandiu etiam eorum dirigendi ius atque directio principi qua tali competit. (Conf. §. 22. cor. 2.)
3. Exinde diiudicari potest, quod propositio illa (Princeps qua talis dirigit omnia negotia ecclesiae), simpliciter enuntiata, fit falsa. Nam in §. euictum est, principi qua tali non competere directionem negotiorum ecclesiae, nisi sub ea conditione: si scil. et quamdiu turbant securitatem reipublicae; Ergo principi qua tali non competere directionem negotiorum ecclesiae, nisi tantum eorum, quae (et quatenus eadem) turbant securitatem publicam. Atquae regulae Logicae docent id, quod valet de quibusdam tantum, minime, de omnibus valere, dici posse.
4. Exinde etiam patet, non opus esse, vt erubescat, qui principem non iure proprio (i. e. tali, quod qua princeps habet) *quavis*
in

in regimine ecclesiastico agere, decernere, ordinare etc. defendit; quemadmodum quibusdam est visum.

Sch. a) Idem affirmat Ill. Böhmerus Iur. Publ. Univ. Libr. II. Cap. V. §. 17. not. (b). Hocce ius (loquitur quidem tantum de iure constituendi Doctores. Sed identitas rationis permittit, ut ad omnia reliqua iura ecclesiae. Vid. Libr. II. Cap. V. §. 12., verba haec applicari possint) collegio, ecclesiae scilicet committitur; et, haftenus recte illud exercet nec imperans ex iure imperii sibi praecise hoc arrogare potest, quatenus pacifice iure suo et non in perniciem reipublicae vitur, etc., Notandum adhuc, id, quod imperanti ex iure imperii (sive quod idem est, imperanti qua tali) denegatur, minime denegari imperanti; ex alio namque fundamento ipsi tribuitur (per §. 2. cor. 7. not.)

§. XXV.

Quod si princeps habet ius dirigendi et directionem actionum negotiorumque ecclesiae in territorio suo existentis, et non contra securitatem reipublicae agentis, illud ius ex alio quodam fundamento, quam quatenus est princeps, ut habeat necesse est. Illud namque dictum ius dirigendi eiusque exercitium Princeps ex eo fundamento, quatenus est princeps, non habet, (per §. praec.). Ergo ius illud et inde fluens directio non ad suum principis connatum pertinet. Ergo si habet, ut adquisiverit necesse est. Omnia adquisita fundamentum acquisitionis habere debent (per princ. I. N.). Ergo si princeps ius illud et inde fluens exercitium habet: ut ex alio quodam fundamento, quam quatenus est princeps, habeat necesse est.

1. Fundamentum illud acquisitionis legitimum esse debere, ex principiis I. N. clarissimum est.
2. Quidquid iuris Princeps qua princeps habet, habet vi superioritatis; et ex iure territoriali a). Exinde patet: Quod princeps, si habet ius dirigendi et directionem actionum negotiorumque ecclesiae in territorio eius existentis et non contra securitatem reipublicae agentis, illud ius non habeat vi superioritatis et iuris territorialis; sed ex alio quodam fundamento.

Sch. a)

Sch. a) Demonstrationem harum propositionum breuibus sic exhibere liceat. Princeps qua talis est in republica, qui habet imperium (§. 2. cor. 1.) siue quod idem est, qui habet superioritatem; Ergo quidquid iuris principi qua tali competit, competit ei vi superioritatis. Porro Princeps qua talis est dominus territorii; et quidquid ei qua domino territorii competit, id habet ex iure territoriali. Hinc quidquid principi qua tali competit, competit ei ex iure territoriali.

Sch. b) Fundamentum, ex quo princeps directionem actionum negotiorumque ecclesiae accipere possit, hoc loco vt positive determinemus et speciali ac diffusiori quadam ratione ostendamus, necesse non est. Finis enim noster eo tantummodo directus est, vt ostendamus: Superioritatem et ius territoriale non esse fundamentum, ex quo directio dicta, principi si competit, derivari debeat.

Sch. c) Forsthan illustrationis gratia haud incommodum erit, verba cel. Böhmerti h. l. recitare, in Iur. Publ. Vniuers. L. II. C. IV. §. 4. aientis: „si imperans semet collegio subditorum (hinc et ecclesiae Conf. libr. cit. Cap. V. §. 11, 12.) adiungat: eo in „casu non vt imperans, sed ut membrum collegii consideratur, et eodem loco in nota (u) „Sunt ecclesiae nihil aliud quam collegium aequale, quibus princeps quum se adiungit, ibidem „haud consideratur, vt princeps, „ Vt ne cui incongruum videatur, Principem, si est ea in Societate, quae dicitur Ecclesia, non ibidem considerari vt princeps: recorderur, nos iam §. 2. cor. 7. sch. exemplo quodam ostendisse, Principem in Societate esse posse, et tamen ibidem non spectari debere vt princeps. Diximus namque, Principem, tamen in Societate quae Matrimonium audit viueret, in ea tamen non spectari debere vt princeps. Hoc tantum repetere exemplum, et alia plura idem comprobantia silentio praererere liceat,

§. XXVI.

Quod si princeps habet ius dirigendi et directionem actionum negotiorumque ecclesiae in territorio eius existentis et non contra securitatem reipublicae agentis: illud ius illaque directio cum imperio eius civili nullum habet nexum a). Princeps qua princeps habet imperium ciuile

le (§. 2. cor. 3.) Ergo quidquid principi qua tali competit, competit ei ob imperium civile. Ergo quidquid cum principe qua tali est connexum; illud cum imperio eius civili est connexum. Iam vero quum ius dirigendi dictum dictaque directio principi qua tali non competat (§. 25.): Quod etiam cum imperio eius civili non sit connexum atque connexa, id est, ex eo non sit deducendum, patet.

1. Dictum itaque ius dictaque directio etiam cum superioritate principis et iure eius territoriali nullum habere nexum ex §. praec. cor. 2. itidem constat.
2. Nonconnexorum vno modificato vt exinde statim et alterum modificetur concludere velle, regulis Logicis haecenus saltem cognitum vix erit conueniens. Hinc quidquid valet de imperio Principis civili non statim valet de iure dirigendi atque directione negotiorum ecclesiae in territorio existentis etc. ipsi competente. *b*)
3. Ex cor. 1. patet, si dictum ius dirigendi negotia ecclesiae nominari potest Ius sacrorum, eos etiam, qui ius sacrorum territoriali imperio non cohaerere, et principes vi territorialis et civilis imperii (atque ita sub qualitate seculari tantum ius sacrorum non exercere asserunt, non canere naenias (uti quidam loquuntur.

Sch. a) id est, (vt distinctius loquar): Ius dirigendi illud, quod Principi competit, illaque directio ex imperio eius civili non sequitur, et principi, quatenus vt imperium civile gerens spectatur, non competit. Ea quae §. 24. *Sch. a*) dicta sunt, conferri commodissime hoc loco queunt.

Sch. b) Vt statim appareat, quid intelligam dicens (quidquid valet de imperio civili, non valet de iure circa negotia ecclesiae etc.) in antecessum indicare opus erit, me in sequentibus affirmaturum esse, de imperio civili valere, vt cum coactione possit exerceri; de iure autem, circa negotia ecclesiae dictae quod Principi competit, non tali ac simili valere modo, vt cum coactione possit exerceri, ea scilicet quae libertati conscientiae contraria foret.

§ XXVII.

Si princeps iura ecclesiae connata §. 14. seqq. recensita exercet et
dirig-

dirigit, qua iura collegialia exercent eadem dirigitque. Id quod ex § 19. cor. 3.; et ex natura ecclesiae, et ex §. 25. facile poterit deduci.

§. XXVIII.

Atque haec, generalia tantum tractaturo, sufficere possunt; quae quatenus mihi quidem videtur, plenam exhibent theoriam generalem, ex qua ius principis circa sacra, secundum ius naturae, ulterius determinari atque deduci potest; ex qua etiam ad quaestiones § 20. formatas danda est responsio. Ius principis circa sacra (si terminus in sensu generali et plerumque visitato sumitur) denotat ius, quod summus quidam reipublicae imperans i. e. Princeps circa actiones et negotia ecclesiae in territorio eius existentis habet (per exper.) Pro data definitione Ius principis circa sacra principi competens facile poterit, sed in generalibus tantum, delineari. Nostrum, si quod est ea in re, iudicium breui hacce meditatione exhibere liceat Distinguo, vi antecedentium, inter iura quae principi qua tali; et inter iura, quae principi competunt, sed non qua tali, verum si competunt, ex alio fundamento deducenda sunt. Atque tunc exinde sequentia subsumo. Circa actiones et negotia ecclesiae in territorio principis cuiusdam existentis Princeps qua talis habet summam inspectionem in omnia omnino negotia in omnesque actiones ecclesiae (i. e. in actiones, quibus membra ecclesiae qua talia iura ecclesiae connata exercent) per §. 21. cor. c. Porro Princeps qua talis habet ius, si negotia et actiones ecclesiae in se eiusmodi sint, ut turbent a) aut turbare incipiant securitatem reipublicae, eadem eandemque dirigendi; idque ius exercere potest eo usque, ut non turbent aut turbare securitatem reipublicae pergant (§. 24 cor. 2.) Conf. § 2. cor. 9. Princeps vero, si habet ius dirigendi et directionem circa actiones et negotia ecclesiae in territorio eius existentis quae (et quatenus) actionibus suis non turbat securitatem reipublicae: illud ius illamque directionem non habet qua princeps (§. 25. conf. §. 22. sch. a) Ergo non vi superioritatis et ex iure territoriali (§ cit cor. 2.); sed ex alio fundamento. Ex eo scilicet (ut in transitu asseram) quo iura collegialia societatis cuiusdam pro societatis ipsius essentia ac natura in alium non socium quemadmodum princeps qua talis respectu ecclesiae est habendus §. 21, cor. 2.) possunt deferri, Conf. §. 19. cor. 2. it. §. 27.

F 2

Ssh. a)

Sch. a) Quando autem negotia ecclesiae turbant securitatem publicam? Est quaestio maximi momenti. Generatim id quidem cognosci potest ex verbis Cel. Köhleri in iure sociali §. 513. „securitas publica, aientis, in ciuitate eo tendit, vt tota ciuitas a laesionibus aliorum hominum non minus quam ciuium ipsorum libera, vt et socii ipsi a laesionibus conciuum liberi.“ Specialis vero responsio a nobis, quippe circa generalia tantum versantibus, postulari nequit. Ea namque ex natura et statu huius vel illius reipublicae in diuiduo est desumenda, et a) Politicis (quemadmodum dicuntur) relinquenda; iis vero tantum quibus sana politica, iustitiae et aequitati simul innixa, curi cordique est, b) deinceps etiam vniciuique diiudicanda manet, qui huius vel illius reipubl. indiuidualis statum, et naturam huiusmodi societatis, qualis est ecclesia, rite perpendere est capax.

§. XXIX.

Ex dictis in §. antec. facile apparet, distinctionem, qua iura principis (non solum ad imperium sed et ad ecclesiam in territorio eius existentem relati) duplicis generis et vel maiestatica vel collegialia (quae a quibusdam Episcopalia nominantur) esse affirmatur, legitimo suo fundamento haud destitui; vti quibusdam loqui aridet. Ponamus namque Principem, eumque negotia et actiones ecclesiae in territorio eius existentis nec contra reipublicae securitatem agentis dirigentem (id quod qua principi competere ipsi nequit §. 25., et cum eius imperio ciuili nullum habet nexum §. 26.): tunc ponimus personam, cui certa competunt iura qua principi; et cui certa competunt iura non qua principi. Iura quae principi qua tali i. e. quatenus habet imperium siue maiestatem competunt, iura Maiestatica; et iura quae principi non qua tali (scilicet iura circa dicta ecclesiae negotia) competunt, iura Collegialia nominari commode possunt. Conf. §. 27. Quidni igitur iura principis, ad ecclesiam in territorio eius existentem relati, in Maiestatica et Collegialia dividere liceret?

I. Quodsi igitur iura collegialia et iura episcopalia sunt termini synonymici; facile patet ius episcopale (quod principi attribuen-

buendum) non esse imaginarium quid; principemque dici posse episcopum, eique tribui iura episcopalia. a)

2. Annon propositio, quae asserit: Principem (relatum etiam ad ecclesiam in territorio existentem, eiusque negotia dirigentem) vnam tantum gerere personam, non duplicem, eum sufficiente possit negari ratione, perspicuum est.

Sch. a) Ii, qui Principi non competere posse nomen episcopi iuraque episcopalia volunt, ideo id volunt (et mirum sibi plerumque fingunt periculum), quia omnes iura episcopalia defendentes eum cum hocce termino, qui iura episcopalia papalia involuit coniungere conceptum, atque adeo ecclesiae iterum transformationem in rempublicam ecclesiasticam intendere, arbitrantur. Sed haud est quod timeant. Non later anguis in herba. Nullus enim veritatis amans eiusmodi cogitationes fovebit; sed omnes potius eos, qui conceptum iurium episcopaliū ita formant, ut inuoluet iura episcopalia papalia (i. e. talia, quae ex eo fundamento, quod ecclesia sit hierachia et respublica ecclesiastica, ortum trahunt) acerrima eruditissimorum virorum reprehensione iudicabit dignissimos, Ecclesia non est respublica ecclesiastica (nemo, naturam ecclesiae intelligens, id affirmabit) in qua doctoribus et clericis qua talibus (quorum nonnullis, vti Cel. Böhmernus I. P. V. Lib. II. Cap. V. §. 18. apposite loquitur, innata ad imperium in conscientias inclinatio tribuenda) regimen & potestas legislatoria siue imperatoria competeret. Sed est collegium aequale; in quo, si scilicet, nulla adhuc iurium delatio est facta, nulli membrorum plus iuris competit (nec alio modo vquam competere potest) quam alteri; in quo autem possibile est, ut directio iurium, singulis membris alias competentium, deferatur adeoque propria maneat vni membrorum vel pluribus, qui (aut quorum complexus) tunc director iurium et negotiorum ecclesiae, id est Episcopus, absque omni (si quod ego iudico) inconuenientia poterit dici; cuique tunc tribui possunt iura episcopalia, i. e. iura dirigendi actiones et negotia ecclesiae, prout finis et natura huius collegii aequalis (quale etiam sed certo modo determinatum, post delationem adhuc manet, Coas. Cel. Böhme-

rus I. P. V. Libr. II. Cap. V. §. 13.) requirit atque permittit §. 19. cor. 3. Quibus ex dictis facile est perceptu tam negatiue, quoniam conceptus cum termino: Episcopus, et, Iura Episcopalia, non sit coniungendus; tam positiue, quid sibi velit denominatio Episcopi et Iurium Episcopaliu.

§. XXX.

Vtilitatem ex defendenda propositione (Quod ius circa sacra i. e. circa negotia ecclesiae, excepto quod turbent securitatem reipublicae, non competat Principi qua tali i. e. vi superioritatis et ex iure territoriali; atque cum imperio eius ciuili nullam habeat connexionem (§. 269.)) si euincendi animus esset, id tam directe quam indirecte fieri posse arbitror. Directe scilicet, si ad casus quosdam indiuiduales descenderetur; et tam ad naturam huius vel illius reipublicae, quam ad relationem huius vel illius imperantis ad alium imperantem attendenderetur. Indirecte vero, si ex assumpta propositione opposita (quod scilicet omne ius circa sacra principi qua tali i. e. vi superioritatis et iuris territorialis competat) conclusiones legitimo modo deducerentur, quas quilibet veritatis amans, naturam ecclesiae rite et non partium studio deditus perpendens, concedere ipse detrectaturus esset; id quod absque vlla consequentias inanes contextendi auiditate secundum solius veritatis ductum confici possum persuasus a). Sed vero virumque ut omittamus, erit commodissimum. Prius namque supponit rerum publicarum historiae politicae specialis et specialissimae notitiam haud superficiariam; quod autem studiorum genus ad me non pertinet. Posteriori vero ideo speciatim omittimus, quia cum sine huius Dissertationis nostrae veritatem, non vtilitatem, directus est. Interim et hanc de vtilitate sententiam in transitu adduxisse, non prorsus abs re esse arbitror.

Sch a) Vnicuique speciminis loco breuibus adducere liceat. Ponamus Principem qua talem dirigere posse omnia ecclesiae negotia, i. e. omnes actiones membrorum ecclesiae qua talium. Exinde sequitur, principem omnes eiusmodi actiones cum coactione dirigere posse. Nam princeps qua talis habet imperium ciuile.

Ergo

Ergo imperium cum coactione coniunctum, per Princ. I. N. conf. §. 2. cor. c). Ergo omnes actiones, quae imperio ipsius civili subunt i. e. quarum directio ipsi qua principi competit, cum coactione dirigere potest. Equis vero eiusmodi cum coactione coniunctam omnium ecclesiae negotiorum directionem cum libertate religionis & ecclesiae (ea scil. quae iure ipsi competit) conciliare poterit? Id quod impossibile esse Celeberr. Böhmerus affirmat Iur. Publ. Vniu. Lib. II. Cap. V. §. 4. (1) ubi submissionem generalem (i. e. submissionem civium etiam respectu omnium negotiorum actionumque religionem spectantium) quam quidam defendunt, taxat, - - Hoc supposito, aiens, posset imperans quemvis externum cultum idololatricam subditis iniungere, quod sanae rationi repugnat, - - Ex qua vero propositione sequitur (legitime scil. quod per se patet) aliquid, quod sanae rationi repugnat; quomodo propositio ista vera esse potest? Hinc patet, quosdam magni nominis viros, dum scriptis suis propositionem defendunt: Princeps qua talis dirigat omnia negotia ecclesiae; vel non attendere ad vim termini: Princeps qua talis; vel oblitos esse, quod ipsi affirmarint, religionem respuere imperium, proptereaque non armis sed argumentis propagari debere. Exinde 2) sequitur, quod etiam e. g. principi ethnico competat ius, omnia omnino negotia ecclesiae eiusdem e. g. christianae, in territorio eius existentis dirigendi, idque cum coactione. (Quidquid enim principi qua tali competit: competat cuilibet principi, quisquis sit, necesse est per princ. Log.). An vero haec propositio, salva veritate, concedi possit, de eo totus dubito. Confer. §. 26. cor. 2. sch. b.)

Sch. b) Verba Cel. Böhmeri in sch. §. praec. allegata tam notabilia mihi videantur, eadem ut sine iterata & magis plena recensione dimittere non possim. Expresse vir illustris pariter ac eruditissimus asserit, eos, qui affirmant, civibus tribuendam esse submissionem generalem, (i. e. quemadmodum sese ipse explicat, civis submissos esse principi (qua tali, Conf. sch. a) §. 21.) in omnibus etiam causis religionem (ad quam pertinet cultus externus, Vid. Auct. l. c. §. 5. & §. 12. ibid.) spectantibus, quippe in quibus voluntatem suam imperantis (qua talis sch. a) §. 21) arbitrio

arbitrio ne quidem submittere possunt), *ponere aliquid, ex quo sequitur quod sanæ rationi repugnat.* Nonne ad eiusmodi effatum attendere deberent. qui, rametli auctoritatem summi viri venerantur, tamen sequentia & similia defendunt; a) ius sacrorum territoriali imperio cohaerere, & principes vi territorialis & civilis imperii ius sacrorum exercere; atque ita sub qualitate seculari, non ecclesiastica. β) principem (relatum scil. etiam ad ecclesiam in territorio existentem) vnam duntaxat gerere personam, non duplicem. γ) ius episcopale esse imaginarium, principesque non posse dici episcopos, iisdemque tribui iura episcopalia. δ) principem iure proprio (i. e. eo, quod quæ princeps habet) quacuis in regimine ecclesiastico agere, decernere, ordinare &c. Omnes hæc enim propositiones nil nisi submissionem civium generalem, etiam in causis quibusvis religionem spectantibus principi quæ tali factam, loquuntur; & qui vnum asserit, alterum defendat necesse est; id quod absque addita probatione quilibet facile perspicere potest.

Sch. c) Quæ h. l. adducta sunt, ideo sunt adducta, non speciatim vt propositionum a nobis in antecedentibus defensorum veritatem eo magis firmemus; sed vt ostendamus, nobis etiam, si more eorum, qui tunc se vera dixisse absque omni disquisitione firmiter credunt, quando celebrium virorum ore sermonem facere possunt) placeret eruditorum effata in auxilium vocare, per plures non deesse a partibus nostris stantes; (etiam invitos).

§. XXXI.

De obiectionibus, quæ contra assertiones nostras formari possunt, breuibus id adhuc moneo. Responsum ad easdem dari et contradictionem (quæ verbalis tantum erit, non realis) facile remoueri posse fidem damus, dummodo veritatem sequi liceat, in gratiam eorum, qui quo digitum intendo, perspiciunt, sit hocce dictum.

Errata si obuenerint, festinationi concedere et ipse emendare velit B. L. Potiora quædam hæc erunt: pag. 4. lin. 1, pro *nititur* lege *nititur* pag. 10. lin. 18. pro *ciuitatis* l. *ciuitatis* pag. 24. in 23. pro *qui* l. *quæ* pag. 25. lin. 9 pro *eius* l. *hunc* ibid. lin. 13. pro *coniuncti et obligati* lege *coniuncta et obligata* ib. lin. 3 r. pro *quorum* l. *quorum* pag. 28. lin. 8. post verbum *promouendi* ponatur *mediam* pag. 29. lin. 22. pro *laedant* lege *laedat* pag. 31. lin. 1, pro 27. lege 17.




ULB Halle
000 710 598

3



Sb







21
Q. D. B. V. C. 3. num. 12. *th*

8

MEDITATIONES QVASDAM
IVS PRINCIPIS CIRCA SACRA
SECUNDVM JVS NATVRAE
SPECTATVM CONCERNENTES 1747. 1.

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI
A. C. MDCCXLVII. DIE FEBRVARI
SVBIIICIENT
PRAESES

P. 352
IOHANNES CHRISTIANVS
ESCHENBACH
PHILOS. MAG.
ET
RESPONDENS
IOHANNES FRIDERICVS
EICHFELD
PH. AC. MED. STVD.

ROSTOCHII,
TYPIS IOHANNES IACOBI ADLERI, SEREN. PRINC. ET ACADEM.
TYPOGRAPHY.

KEN FRIED
UNIVERS.
ZVHALLE